

DIRECTORE DOMINO!
DE
ÆTERNA GLO-
RIFICATIONIS OECONOMIA,

Ex Psal. XCI. 14. 15. 16.

PRÆSIDE
VIRO

*Summè - Reverendo, Magnifico, Amplissimo, atq̃
Excellentissimo,*

DN. JOHANNNE Deutschmann/
SS. Theol. Doctore incomparabilis elogii,
Prof. Publ. longè exquisitissimo, felicissimo, Venerandæ
Facult. Th. h. t. DECANO Spectatissimo, Alumnor.
Elect. Ephoro gravissimo, meritissimo,

*Dno. Præceptore, Patrono, Fautore, ac
Promotore suo, nullis non temporibus, locis & occasio-
nibus, omni observantia & pietatis cultu
colendo, observando,*

disputabit

PETRUS SCHWARZ/

Nadosdiensis Transylvanus,

IN AUDITORIO MAJORI,

Ad diem 26. Men. Jul. An. 1689.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Coll. diss. A
161, 34

24. A. 161 (34)

5. 16. 16.

[Handwritten signature]

Q. D. B. V. J.
Capituli Parochialis,
quod BOGATZIENSE dicitur
in Universitate TRANSSYLVANORUM Ecclesiasticâ,
COLLEGIO VENERANDO,
VIRIS

*Reverendâ dignitate Præstantissimis, Præclarissimis
pariter atq; Doctissimis*

DDNN.

D E C A N O
S U R R O G A T O

cæterisque

C O L L E G I S

Dignissimis, Meritissimis, Vigilantissimis:

*Dom. Patronis, Promotoribus, Genitori, Præceptori, Ami-
cis & Fautoribus submissè honorandis,
colendis,*

Hoc quâli quâli conatum suorum
specimine
placere

succinctè vovendo:

*Ordo Sacrate DEO (α) genuinos spargere Lucis
Divinæ radios continuè valeas!*

Petrinusq; Tuo renovetur munere partus (β)!

Smyrnenisq; Tuum laude (γ) redundet opus!

Paulinè tandem cursores (δ) fine retento,

Cum paribus numero sede sedete pari! (ε)

(α) Psal. 105. v. 15. (β) Act. 2. v. 41. (γ) Apoc. 2. v. 9. (δ) 1. Cor. 9. v. 24. 26.

Conf. 2. Tim. 4. v. 7. (ε) Apoc. 4. v. 4.

humillimè laborat

P P. V V. D D.

observantissimus

cliens

RESPONDENS.





Gloria nostra DEUS, *felices nosq; foremus.*
Si Nos essemus *Gloria Vera DEI.*
Glorificat Dominus mortales lumine Verbi,
In coelis ut *Eum glorificare* queant.
Et quod mirandum, *Crucianis Gloria* fertur,
Cui DEUS æternis *legibus esse* dedit.
Olim *decrevit Crucianos glorificare,*
Et, quod *decrevit,* nunc sine fine *facit.*
Et *facit,* & *faciet,* posthæc per secula cuncta,
In coelis *proprium his glorificare* DEI.
Talia, DOCTE MELAS, meditaris corde fideli,
Perge, piis studiis Gloria certa Dei!

JOHANNES Deutschmann / D.

Promoveas faustè *patrio* quæ digna *favore*
Censentur! confert nil latuisse magis.
Egregii quoniam tractas *hunc ponderis actum.*
In quo *cœlestis gloria* fixa *domus.*
Efficies servire DEO: benè velle clienti
Patroni certent: id quod & ipse volo!

CHRISTIANUS DONATI, P.P.
Madri=

Madrigal.

Weil Mars jetzt manchen Ort bestreitet/
Und läßt die Sieges-Fahnen sehn:
So wird Eulebie im Musen-Kampf begleitet
Auch ist/wie oftmahls ist geschehen:
Herr Melas kan ein klares Beyspiel geben
Der rühmlichst stellet vor/
Die Ew'ge Herrlichkeit/
Die JHM nach dieser Zeit
Bergnügen wird/in jenem Leben.

Mit diesen wenigen und schlechten Zeilen wolte des Herrn Respondenten Begehren willfahren:

MICHAEL GÜTSCHIUS,

Schäsburgô-Trans. SS. Theol. Stud.

Vltæ Sal qværis Solem Numenq, subinde,
Hoc patet ex vultu, mens & amica probat,
Rite facis! nec Te facile hoc fecisse pigebit,
Nam Patriæ tandem præmia larga feres.
Maçte igitur porro cœptis insistere perge,
Sic Tua post mortem fama superstes erit.

*Hiscæ DOCTISSIMO D. RESPOND. FACTORI
& Amico, nec non contubern. suo suavissimo L. M. Q. applaud.*

JOH. LANGIUS, Rupe-

Transylv. Alumn. Elect.

✽(o)✽

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,
DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS
OECONOMIA.

EX PSALMO XCI. 14. 15. 16.

Textus Hebræus: כִּי בִי הִשְׁק אֶפְלֹטָהוּ אֲשַׁנְבְּהוּ כִּי יָדַע שְׁמוֹ: וְקָרָאֵנִי וְאֶעֱנֶהוּ עִמּוֹ אֲנֹכִי בְצָרָה אֲדַלְצֶהוּ וְאֶכְבְּדֶהוּ: אֲרַךְ יָמָיו אֲשַׁבִּיעֶהוּ

Latinus Vulgatus: *Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum: clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum: Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

B. Lutheri Versio Germanica: *Er begehret mein / so wil ich Ihm auffhelffen / er kennet meinen Nahmen / darumb wil ich Ihn schützen / er rufft mich an / so wil Ich ihn erhören / Ich bin bey ihm in der Noth / Ich wil ihn heraus reissen / und zu Ehren machen / Ich wil ihn sättigen mit langen Leben / und wil ihm zeigen mein Heyl.*

1. *Ad Ultimum tandem Gradum Oeconomias æternæ Prædestinationis descendimus, quem cum Formula Christianæ Concordiæ dicimus Oeconomian Æternæ Glorificationis, quia, secundum hunc nostrum Libellum Symbolicum, idem ille Deus in æterno suo consilio decrevit, quod eos, quos elegit, vocavit, justificavit, in altera æterna illa vita salvos facere, & æterna gloria ornare velit.*

2. *Dicitur hic Ultimus Gradus (1) positu Canonico, quia Paulus Apostolus in aurea salutis Catena gradum hunc ultimo loco notavit: Rom. II X. 30. Quos prædestinavit, eos & vocavit, & quos vocavit, eos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. (2) positu, vel ordine Symbolico, quia, sicut hætenus vidimus,*

A

ipse

DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS

ipsa *Formula Concordie*, sic *Gradus Prædestinationis* ordinavit, & collocavit, nominavit & numeravit, ut eos *oëtonario* numero convenienter includeret, proponens, (1) *Redemptionem*. (2) *Vocationem*. (3) *Conversionem*. (4) *Justificationem*. (5) *Sanctificationem*. (6) *Conservationem*. (7) *Finalem Confirmationem*. (8) *Glorificationem*: sic *Glorificationem* ultimo loco reservavit. (3) *ordine nature*, quia *glorificatio* natura sua præcedentes gradus omnes ante se requirit, ita quidem, ut nullus sine *Redemptione*, *Vocatione*, *Conversione*, *Justificatione*, *Sanctificatione*, *Conservatione*, *Finali Confirmatione*, *Glorificari* possit. (4) *ordine doctrinae*, quia nec hæc ipsa *glorificatio* sine præcedentibus gradibus plane proponi, vel exponi, nec sine his ipsis plene cognosci potest, adeoque, quoad verum *ordinem doctrinae*, post omnes illos gradus jure proponitur.

3. Hanc ipsam *Glorificationem* potissimum ex *Oraculo* quodam *V. T.* notabimus, ut ex eo constare queat, quod non tantum *Christianis N. Testamenti*, sed etiam *Fidelibus prisce fæderis* hæc *mysteria* luculenter, & sufficienter, à Deo revelata, vel à scriptoribus *θεοπνευστοις* consignata sint. Eligimus autem ea de causa pulcherrimum *Oraculum Davidicum* ex *Ps. XCI. 14. 15. 16.* ubi *Paltes* Regius totum quasi *processum* *Glorificationis* nobis exhibere videtur. Nos observabimus modo I. *Æternæ Glorificationis Oeconomias* *Existentiam*. II. *Æternæ Glorificationis Oeconomias* *Essentiam*. III. *Æternæ Glorificationis Oeconomias* *Eminentiam*.

3. *Existentiam* *Glorificationis* quod concernit, eam generaliter, extra nostrum *Oraculum*, multis demonstrare possemus: (1) quia tota scriptura gloria nostræ verbum est, tendens ad *Gloriam*, & *glorificationem Dei*. I. *Pet. IV. 11.* Si quis loquitur, quasi sermones Dei loquatur: si quis ministrat (verbum), ministret tanquam ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per *Jesum Christum*, cui est gloria, & imperium in secula seculorum, Amen: & ad gloriam, vel *glorificationem nostram*, unde vocatur *Evangelium gloriae*, II. *Cor. IV. 4.* I. *Tim. I. 11.* omnes promissiones Dei dicuntur *Etiã*, & *Amen*, Deo ad gloriam nostram. II. *Cor. I. 20.* (2) quia tota *Theologia* quoque tendit ad gloriam nostram, sicut *Paulus*

lus I. Cor. II. 7. ipsa Theologia definitione tradit, quod sit sapientia Dei in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ANTE SECUULA in Gloriam nostram: sic omnia Mystera Theologia Deus ab æterno prædestinavit ad Gloriam nostram, & hac ratione pariter æterna glorificationis œconomia nos glorificavit. (3) quia Paulus in catena salutis, vel prædestinationis æterna potissimum ad æternam nostram glorificationem respicit: Rom. IX. 30. Nam quos præsciuit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, eos & justificavit, & quos justificavit, hos & glorificavit: & sic Glorificatio nostra dicitur scopus, vel meta mysteriorum, & beneficiorum omnium. (4) quia nos in Christo sumus glorificati, sicut Christus & glorificationem suis Ministris pollicetur: Job. XII. 26. Si quis ministraverit, honorificabit eum Pater meus: mox etiam suam glorificationem, & nostram in ipso confitetur, dum inquit: Pater clarifica, vel glorifica nomen tuum, scilicet in me, qui sum Vicarius omnium fidelium: & mox audita Vox Patris de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo. (5) quia Christus in precibus suis efficacissimis ad Patrem c. XVII. aliquoties idem inculcat: v. 10. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. v. 22. Ego charitatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. v. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi Ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti, quia dilexisti me (& per me quoque fidelibus meis) ANTE CONSTITUTIONEM mundi. &c.

5. Singulariter etiam hanc Existentiam Glorificationis æternæ considerabimus ex Oraculo nostro, & quidem sequentia potissimum annotabimus: (1) quod agatur hic de Glorificatione divina, tum quia disertis verbis Deus hic dicit: Ego glorificabo: tum quia luculenter hoc probant consequentia, nim. gloriose longevitatis, & gloriose salutis, aut felicitatis, v. 16. tum quia multa conspiciuntur in antecedentibus, quæ similiter idem confirmant. (2) quod hic agatur de Glorificatione divina ratione nostri, dum immediata fit applicatio ad subiectum illud, vid. hominem fi-

DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS

deliem, ELLM Ego glorificabo. (3) quod de peculiari quadam, *oeconomia divina glorificationis* erga nos agatur, quia *processum integrum* h. l. multis verbis *Spiritus Sanctus* describit, adeoque luculenter *Oeconomiam* quandam ostendit, cum primis, quia tota *Ecclēsia* dicitur *Domus*, *I. Tim. III. 15.* in qua summus *Oeconomus Deus* est, & *sapientissimam* suam *Oeconomiam* ibidem in omnibus observat, & administrat. (4) quod hic agatur de *Æterna divina glorificationis Oeconomia*, non equidem exclusive, sed inclusive, tum quia *Dei* dicitur *Oeconomia*; quæ verò *Dei* sunt, quatenus talia, sunt, & manent, quoad *Deum* æterna sunt, adeoque sic etiam *Æterna* vere dicuntur: tum quia *Deus* nihil in tempore facit, quod ab æterno facere non decrevit; tum quia hæc *glorificatio* cum *æternis* conjungitur, nim. *æterna longevitatis repletionē, & æterna salutis, ac felicitatis ostensione*, quæ cum aliis etiam ad *æternitatis statum* respiciunt.

6. Ad *Essentiam*, vel *Naturam* hujus *Glorificationis* jam accedimus, & circa declarandam eam ad *Causas*, quæ genuina sunt naturæ cujusvis *specula*, potissimum respicimus, cum primis, quia nostrum *Oraculum* evidenter ostendit I. *Causam Materialem æternæ glorificationis Oeconomias*. v. 14. & 15. II. *Causam Formalem*, ibid. dum *forma* cum *materia* h. l. conjungitur, sicut aliàs conjunctissima sunt, & inter se penitissime non sine divino quodam artificio convenienter uniuntur. III. *Causam Efficientem*, quæ dicitur *Ego*, nim. *Deus*. IV. *Causam Finale*. v. 16.

7. Quod igitur *causas* concernit, earumque, juxta nostrum *Oraculum* considerationem, sic in hac *æterna Glorificationis Oeconomia* conspiciamus primam *internas*, utpote, quæ naturam ipsam ingrediuntur, eamque constituere, vel absolvere dicuntur. Inter *has Causas internas* producimus (I) *Materiam æternæ Glorificationis Oeconomias*, ubi quidem non opus esset, ut in variis *materia differentias* inquireremus, cum in *mysteriis æternis* applicandis occupati simus: dum a. hætenus illas *differentias*, per *analogiam eminentiæ* quadantenus in reliquis notavimus, & convenienter ad *Objecta prædicationis* accommodavimus, etiam hic idem, juxta præsens *Oraculum*, tentabimus, hac lege tamen, ut secundum *materiam substratam* & intelligantur, & explicentur, & applicentur. 8. Quo-

8. Quoad *Materialem Differentiam ex qua* non uno modo tales *partiales* vel *actus*, vel *respectus*, notari possunt, ex quibus tota quasi constituatur, & absolvatur *Glorificatio*. Si quis ipsam respicit *Glorificationem*, illa constare videtur ex *omnis ingloria*, vel *ignominia privatione*, vel *sublacione*, quia, quamdiu locum invenit unum *oppositorum*, alterum certe locum eundem occupare nequit: & ex *omnis gloria collatione*, cum illa quasi *materialiter*, hæc *formaliter* *Glorificationem* ingrediatur, & ipsa *totaliter* sic absolvatur. Quoad *generalem Dei processum* constat partim ex *æterna constitutione*, quæ πέντες, & *formaliter*, dicitur *Æterna Glorificationis Oeconomia*; partim ex *temporali executione*, cum propter hanc æterna constitutio suscepta sit à Deo. Juxta nostrum *Oraculum* hæc *Glorificatio* constare videtur, partim ex *antecedentibus*, *constituentibus*, & *consequentibus* actibus *partialibus*: illi sunt: (a) *Glorificandi sperantis liberatio*. v. 14. (b) *Glorificandi cognoscentis, & confidentis protectio*. ibid. (c) *Glorificandi clamantis exaudicio*. v. 15. Isti sunt: (1) *coexistentis Dei manifestatio*, quod ipse sit cū glorificando semper in tribulatione; (2) *coexistentis operatio*, quia præsentia DEI non est *otiosa*, sed *operosa*; dum eripit eum. (3) *operantis glorificatio*, dum discrete dicit, *Glorificabo eum*: (a) Hi denique sunt: *glorificationis continuatio*, nimirum in *longitudine dierum*; (b) *continuationis exsatiatio*, quia *longævitas* erit *meræ satietatis*, vel *exsatiationis*; (c) *exsatiationis illustratio*, vel *exaltatio*, quia *divinam salutem*, atque *felicitatem glorificatis* in æternum ostendet, vel manifestabit.

9. Quoad *Materialem Differentiam in qua*, *Subiectum* est vel *activum*, in quo talis est *Glorificatio*, & à quo procedit, vel etiã communicatur *glorificatio*, quod nec *Angelus* est, nec *Homo*: sed *Deus*; non equidem quasi *glorificatio* talis sit in Deo, tanquam *Essentia*, quia *gloria*, quæ nobis à Deo donatur in *glorificatione*, non est *essentialis*, utpote quæ soli Deo *propria*, nec ulli creaturæ nudæ communicari potest. Esa. XLII. 8. *Ego Gloriam meam alteri non dabo*; sed tanquam in *causa*, quia sicut nos toti *sumus*, *vivimus* & *move-mur in Deo*, Act. XVII. 28. sic etiam *gloria nostra* residet in Deo. Et certe, si *gloria nostra* tantum esset in *manibus*, aut *viribus nostris*,

DE ÆTERNA CONFIRMATIONIS

mille *Cacodæmon artes* nosset, quibus nobis, tanquam *μυειοτεχ-
vιης*, prorsus omnem *glorificationem* eripere posset: Vel *passivum*,
quod recipit ipsam *Glorificationem*; sic de *jure* quidem, imprimis
quoad *temporalem Executionis Oeconomiam*, omnis *Homo*, quicum-
que saltem ab *Adamo* descenderit per *naturalem propagationem*,
in *Christo glorificationis hujus particeps* fieri deberet, cum ejus
fundamenta, sicut & alia cuncta per *Evangelium Adamo* cum omni
posteritate sint oblata, vel communicata; verum maxima pars homi-
num deseruit *divinæ glorificationis viam*, & in *devia Cacodæmonis*
discessit, adeoque *glorificationis hujus particeps* fieri nequit: ad
minimum saltem *Glorificationem divinam* omnes *Ecclesie cives*,
quotquot actu versantur in *regno gratie*, vel *Ecclesia*, *glorie verbum*
audiunt, & *glorie signaculis*, vel *sacramentis* utuntur, adeoque sic
specialiter Glorificationi divinæ destinantur, hanc *divinæ Glorificatio-
nis Oeconomiam* respicere, vel recipere deberent: sed proh dolor! tan-
ta *Cacodæmonis* in *Ecclesia* medio dicitur *astutia*, tanta *mundi ma-
licia*, tanta *carnis nostræ pronitas*, & *concupiscentia*, ut plerique pa-
riter in *Ecclesia* beneficio *glorificationis* excidant: hinc omnino
certum, quod tantum perseverantes fideles fiant, sint, & maneant
hujus *Glorificationis Subjæctum*. Probatur hoc *partim ex natura glo-
rificationis*, quia, qui semel glorificati sunt, ad *inglorium statum*
descendere, vel redire nequeunt: *partim ex sede glorificationis*,
quia *regnum gloriæ sedes glorificationis* est; *partim est συνεχεία
graduum precedentium*, quia nemo glorificatur, nisi, qui *redemptus*,
vocatus, *conversus*, *justificatus*, *sanctificatus*, *conservatus*, & in his o-
mnibus *finaliter confirmatus* fuerit,

10. *Subjæctum* autem hoc, quoad *Oraculum nostrum*, descri-
bitur (1) ut *totale*, *Er begehret mein / Er kenneet meinen Nahmen /
Er russt mich an*: quibus toti *fideles* supponuntur, imò non tan-
tum in *nominativo* tale *subjæctum* nobis indicatur, sed etiam in *ac-
cusativo* distinctis vicibus allegatur: *liberabo EUM*, *protegam EUM*,
Exaudiam EUM, *Eripiam EUM*, *glorificabo EUM*, *longitudine
dierum replebo EUM*: demum etiam in *Dativo*: *ostendam ILLI
salutare meum*: quæ certe, frequenti repetitione sua, quadam *em-
phasi* non carent. (2) ut *partiale*, sic certum est, quod homo perse-
veranter

veranter

OECONOMIA. EX PSAL. XCI. 14. 15. 16.

verater fidelis glorificetur, & quoad *Animam*, & quoad *corpus*, cum *Anima* statim, post *mortem temporalem*, sit in *gloria regno* cum *Christo*, Phil. I. 23. in manu *Dei*, Sap. III. 1. in *gloria Dei*; sed *corpus* tamen in novissimo die sit *conglorificandum*, & *conformandum* glorioso corpori *Christi*: Phil. III. 20. sicut enim seminatur in *ignominia*, sic etiam resurget in *gloria*. I. Cor. XV. 43. Nostrum *Oraculum* non tam *essentiales*, vel *integrales* etiam *partes corporis*, quam *facultates anime* respicit, & illa tanquam *subjecta futura glorificationis* introducit; cum primis ad *practica* respicit, sive *media*, sive *membra*, & sic notat, quod *partiale glorificationis subjectum* sit (1) *Fidelis hominis voluntas*, quæ sedes est *desideriorum*: *Desiderat me*, suæ *voluntatis*, à *Deo gubernata*, *desiderio*; sic statim adest *divinæ glorificationis indicium*; *Liberabo eum*, scil. ut *fiduciale desiderium* hoc in eo *glorificem*, illud adimplendo, ac ipsum totum liberando. (2) *Fidelis hominis intellectus*, quoniam cognovit nomen meum, *protegam eum*: sic intellectus etiam *gloria protectionis* coronatur, quia per *veram fidem* nomen domini cognoscit, & firmiter in illud *fiduciam* ponit. (3) *Fidelis hominis os, & lingua*, quia *clamavit ad me*, *exaudiam illum*: quæ ratione pariter *os, & lingua* glorificantur. Quod autem de his, sive *facultatibus*, sive *partibus*, dicitur, illud etiam de reliquis tubintelligitur.

II. Quoad *Materialem Differentiam circa quam*, hæc *Obiectum* dicitur, quod alias vel *personale*, vel *reale*. *Personale* sunt non (a) *angeli mali*, quibus nulla contigit *redemptio*, dum *Redemptor non angelos*, sed *Abrabæ semen* *assumpsit*. Heb. II. 16. (b) nec *Angeli boni*, qui jam sunt *glorificati*, hinc perpetua gaudent *visione Dei*. Matt. XIX. 10. (c) nec *alia creature*, quæ *rationales* non sunt, nec *beneficio glorificationis capaces* esse dicuntur. (d) nec *homines damnati*, quibus nulla contingere potest ex *interno* *dimissio*. Luc. XVI. 26. (e) nec *homines finaliter increduli*, quia, qui non credit, scil. *finaliter*, ille *damnabitur*. Marc. XVI. 16. (f) *Homines fideles*, quæ tales, & in *fide perseverantes*, id quod patet ex omnibus fere *Psalmi presentis versiculis*: (1) *quia soli fideles habitant in latibulo*, vel *tutela*, seu *patricinio Altissimi*. v. 2. (2) *quia soli fideles directe con-*
moran-

DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS

morantur sub amore Dei omnipotentis. (3) quia soli fideles plena fiducia dicunt, & dicere possunt: Spes mea es tu, & refugium meum &c:

12. Nos saltem ex Oraculo nostro personalis Objecti vel *κρησις*, vel *requisita* notabimus, quæ satis certa sunt, & indubitata: nos, juxta tres Cardinales fidelium virtutes, illa notabimus, quæ sunt *fides, spes, charitas*. Primum igitur *requisitum* *Glorificandorum* est *spes*, vel *desiderium fiducialis Cordis*, quoniam in me *spem* vit, dicit *Vulgatus*; *Hebr. פוּחַ אָמַוּיִת*, desideravit, amando, & desiderando, vel *amplexus*, vel *complexus* est, exemplo *Jacobi Gen. XXXII. 26. Non dimittam te, &c. Alterum, Fides*, vel *cognitio Nominis divini*, quoniam *cognovit nomen meum*, quæ certe non est *cognitio nude speculativa*, qualis *operationem cordis* præcedit, sed potius vere *practica*, quæ sequitur *amplexum, & desiderium cordis*, dum ex *possessione, & delectatione cordis* nihil aliud provenit, quam *delectatio mentis*, ut *unice cognitio divini Numinis* intendatur, attendatur, ad tantam, & ad perpetuam *Numinis divini contemplationem* per omnes *cogitationes, meditationes, indagationes &c:* contendatur. Talis enim *notitia divini Nominis* vere dicitur *glorificationis, & gloria nostræ* non modo *requisitum*, sed etiam *principium*, sicut *Jehova* dicit: *Jerem. IX. 23 24. Hæc dicit Dominus: Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & Nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & judicium, & justitiam in terra. Hæc enim placeant mihi, ait Dominus. Conf. I. Cor. I. 30. 31. Tertium Requisitum est Amor, & Clamor fiducialis oris*, quoniam *clamabit ad me: sic n. λόγος* & *externus oris* sequitur *λόγος internam mentis*, oratio externa sequitur *rationem & cogitationem internam*. Et hoc est *Trifolium Deo gratum, & accuratum, atque veræ glorificationis destinatum*, quod attrahit *Deum Glorificantem* tum per *cor appetens, & expetens*, tum per *mentem intendentem, attendentem, & cognoscentem*; tum per *linguam invocantem, & clamantem, & Deum Glorificantem clamoribus impetrantem*.

13. *Objectum reale* proinde sunt illæ, similesque virtutes *fidelium*, circa quas *divina Glorificatio* non potest non versari, nim. circa

OECONOMIA. EX PSAL. XCI. 14. 15. 16.

circa *Fidem, Spem, & charitatem*, vel juxta *Psalmodicum ordinem*,
Spem, Fidem, & charitatem, quæ ratione *Fides* medio stat loco, ve-
 lut *nucleus*, aut *cor virtutum*, cum reliquis, ceu *comites*, secum ha-
 beat. Nam *primo spes, & desiderium confundi nescit*. Rom. V. 5.
 adeoque suas *cogitationes* homo, firmiter *sperans*, in Deum *Glorifi-*
cantem cum omnibus suis *desideriis* conjicit, mentem in *cognitio-*
ne divini Nominis, & Numinis indefinenter pascit, & in primis *delici-*
as mentis in *meditatione Divini cordis*, quod immensa *miseri-*
cordia turgeat erga nostras *miserias*, Jerem. XXXI. 20. in *meditatione divi-*
nae mentis, quod *cogitationes* divinæ *tuae opis, tum pacis, tum*
gloriae, de nobis *foveat, & moveat*, in *meditatione divino-*
rum oculorum, & eorum misericordissimi aspectus, quod nostræ
miserias clementer *aspiciat, & de mediis confirmationis, vel glori-*
ficationis nostræ *paratissimis dispiciat*; in *meditatione divinorum*
pedum, quod *veniat ad nos miseros, pedes* velociter *moveat, & ad*
liberationem, & glorificationem nostram *occurrat*: in *meditatio-*
ne divinarum manuum, quod *utramque manum* ad *opitulandum,*
& glorificandum *moveat, & nostris necessitatibus admoveat, ut ipsum*
glorificationis opus perficiat: in *meditatione divini verbi, ratione*
gratiosissimarum promissionum, quæ sunt *Amen, & Veritas*; II. Cor.
 I. 20. ubi *Dictum est Factum*; in *meditatione divinorum Operum*,
 quia præsentissime *semper in fide* opera Dei *gratiosa* cernimus, &
 si per *fidem* ea *rectius, & planius, & plenius*, introspicimus, illorum
multitudinem, & magnitudinem, satis *admirari* non poterimus; in
meditatione divinorum exemplorum, quæ nobis, tanquam *gratiosa*
vel opitulationis, vel glorificationis specula Deus *proposuit*, ut illo-
 rum *meditatione* nostra *fides* *excitetur, animetur, & corroboretur*,
 sicut & *Siracides* monet: *Cap. II. II. Respiciite Nationes hominum,*
græce εὐβλέψατε εἰς ἀρχαίας γενεάς, intraspiciite in antiquas Ge-
nerationes. B. Luth. *Sehet an die Exempel der Alten; quia nullus*
speravit in Domino, & confusus est: quis enim permansit in man-
datis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum; & despexit il-
lum? quoniam vir misericors est Deus, & remittet in die tri-
bulationis peccata, & protector est omnibus exquirentibus in-

B

veris-

DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS

veritate. &c.: Talis cognitio divini Nominis maxime facit ad nostram Glorificationem, & Deum ad eandem quasi trahit, Demum etiam post *Fidem*, & *Nominis divini cognitionem*, atque *devotam contemplationem*, sequitur *charitas*, in *clamore*, vel *amore precum* conspicua, qua continuam *charitatem* in continuis *precibus* anima *fidelis glorificationis* cupida, libenter declarare cupit. Nam *magnus clamor*, *magnus amor*, dixere Veteres, si nim. *clamor ex fide* fiat, quemadmodum hoc loco *magnum clamorem* cum *nominis divini cognitione*, seu *fide*, conjungit, & ex hac illum deducit; alias dicitur de *clamoribus Pharisaicis*, & *hypocriticis*: *Apud Deum non valet magnus clamor, sed magnus amor*. Sic etiam *Oratio* dicitur aliis *scala cæli*, per quam ad Deum *glorificantem* ascendere debemus, alias dicitur *ipsamet adscensio ad Deum*, *elevatio mentis*, & *cordis ad Deum*: dicitur *clavis cæli*, qua cælum aperire possumus: *Item, ingressus ad Deum*, *colloquium cum Deo*: juxta *Tertull.* dicitur: *Vis Deo grata, quæ vincit invincibilem, & ligat omnipotentem*, adeoq; non potest *glorificationem* piorum non promovere, vel *Deum* ad eam commovere.

15. Nunc ad *Formam* progressum instituímus, quæ latet in mysterio, *ratione sui*, sed, *ratione nostri*, *David* h. l. non in convenienter eam quoad antenus nobis adumbrare voluit, partim *ὡς ὁνομαστικῶς*, quoad *fieri*, partim *ὡς ἰσχυρικῶς*, quoad *Esse*, partim *ἐνεργητικῶς*, quoad *operari*.

16. Quod attinet *Formam* *divine glorificationis in fieri*, prærequirit certos *actus preparatorios*, quales sunt (1) *Actus* *gratiosè liberationis*, quoniam *speravit in me*, vel *desideravit me*, *liberabo eum*, radix *וְיָצִיא* significat *Evadere*, *effugere*, *liberare*, qua *ratione liberationem* ejusmodi designare videtur, quæ cum *evastione* conjuncta, ita quidem, ut ex *vinculis*, vel *angustis* liberati *pericula*, vel *persecutiones*, pro nunc *evadere* possint; licet iis facile rursus *implicari* queant, sicut ipsum *exemplum Davidis in Exilio*, seu *fuga Saulis*, satis luculenter id testatur. Hic primus *Actus* satis *gratiosus* est, dum per *liberationem divinam* ad tempus *glorificandi* sua *pericula*, suas *persecutiones* declinare, vel illas *effugere* possunt. Et hæc
prima

OECONOMIA. EX PSAL. XCI. 14. 15. 16.

prima preparatio glorificationis, quæ subinde *novam* spem in *liberatis* gignit, quod Deus etiam in similibus periculis porro sit *auxiliatricem*, & *liberatricem* manum adhibiturus.

17. (2) *Actus gratiosæ protectionis*: nam quando suos *Glorificandos* ex præsentissimis *periculis*, vel etiam sæpius ex *morte præsentissima* vel extricavit, vel liberavit, statim *manum protectricem* illis protendit, dicens hic juxta *Davidem*: *Protegam eum*, hinc aliis dicitur: *Was Gott wil erquickten/ das kan nicht ersticken: was Gott wil beschützen/ das kan nicht vernützen: was Gott wil erhalten/ das kan nicht erkalten.* &c. Nam si Deus suos *glorificandos* *protegere* non decrevisset, nec ex manibus *persecutorum*, & *oppressorum* eos extricuisset. Hic alter est *gradus preparatorius*, qui gaudet *protectorio*, vel *patrocinio* divino. Hoc *protectorium* nihil aliud est, quam divinum quoddam *Asylum*, die Rechte Frey-Stadt/ die Himmlische *Salva Guardia*. Mille siquidem modos videt DEUS, *glorificandos* suos *protegendis*, quamvis secundum *externa media*, vel secundum *externum intuitum*, nihil appareat eorum, quæ *tutelam* præstare queant. Ipse *Supremus Protector*, *Maximus*, & *Optimus* est *Glorificandorum Protector*, qui nescit deseruisse suos.

18. (3) *Actus Gratiiosæ exauditionis*: *Necessitas* etenim *optimus precum Magister* est, *Noth* lehret beten/ *Christianus Crucianus*, olim *glorificandus* in *perpetuis exercitiis angustis*, & *tribulationibus*, cum multæ sint *tribulationes justorum*, Pl. XXXIV. 20. & *per multas tribulationes ingredi debent regnum cælorum*; Act. XIV. 21. quamdiu proinde sub *cruce* versantur, tamdiu sub *prece* versantur. quia *vexatio dat intellectum*, Esa. XXIX. 11. *dat precum affectum*, & *effectum*, dum non *tentatus* & *nihil scit*, & *nihil liberaliter*, & *constantiter facit*: dum autem ex uno post alterum *periculo Crucianus* eripitur, in *vera fiducia* erga Deum erigitur, ita ut in *recidivis malorum*, & *periculorum* eo *confidentius*, & *constantius* Deum adire, *precesque* suas coram eodem effundere, verumque *subsidium* audacter ab ipso postulare queat. Nam *Crux*, ut est *peccatorum novacula*, sic etiam *fidei coticula*, *precum campanula*, Damit zur *Betstunde* nicht allein geleutet/ sondern zuweilen wol gar gestür-

DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS

met wird. *Nos gravibus curis compellimur ad pia vota: Depellant curas mox pia vota graves: die Angst mich treibet zum Gebet/ durchs beten die Angst gar vergeht.*

19. Post *Actus preparatorios Mystice Glorificationis*, David jam *Actus systaticos* aggreditur: Cum ipso sum in tribulatione, quoad divinum adesse, *Eripiam eum*, quoad divinum prodesse, & *Glorificabo eum*, quoad divinam Præesse: primum est *misericordiæ*, secundum *justitiæ*, (contra persecutores piorum) tertium *cælestis eminentiæ*; primum est *gratiæ*, secundum *potentiæ*, tertium *gloriæ*, primum *voluntatis*, secundum *facultatis*, & *potestatis*, tertium *Majestatis*; primum *cohibitionis*, secundum *opitulationis*, tertium *glorificationis*, &c.

20. Primus proinde *Systaticorum Actuum* est *Præsentissima Consociatio*, Cum ipso sum in tribulatione. Dicitur Elias: *socios habuisse malorum, Hoc juvat, hoc præstat, sint ut solamina firma.* Notum est, quod in malis hominem habere socium, sit multum; sed plus importat, Angelum habere socium, inde Christiani quotidie precantur, *ut sanctus sit nobiscum Angelus, ne potestatem ullam super nos Diabolus habeat, vel inveniat: at Deum habere socium, omnium est summum, & maximum: omnium item optimum Homines sæpius in angustiis nobis prodesse volunt, sed non possunt, Angeli possunt, sed non debent, nisi divinæ voluntati placeat. Christus Jesus, verus Deus, & debet, ut Mediator, & vult, ut Salvator, & potest, ut παντοκράτωρ. Deus in angustiis præsens est fidelibus (a) sua censura, propter peccatorum reliquias. (b) sua cynosura, qua crucis virgas format, & normat. (c) sua mensura, qua vires nobis sic admittitur, ut fides in omnibus angustiis semper sit victoria. 1. Joh. V. 4. Nam fidelis est Deus, qui non patitur nos tentari super id, quod possumus, sed cum tentatione semper faciet τὴν ἐκβάσιν, evasionem; exitum, & eventum, egressum, & successum, τὸ δύναντον ἵμῶς ὑπενεχῆν ad posse nos sustinere, perferre, subsistere, & evincere.*

21. Secundus *Actus* est *Præsentissima opitulatio*: Deus non tantum præsens est in tribulatione, sed etiam præsentem operatur, & opitulatur: *Eripiam eum: radix ὕψις est eripere, exuere, subtrahere, liberare, expedire, &c: quibus non parum illustratur hoc divinum.*

vinum.

vinum. *beneficium*, quod sic eripiat *Crucianum*, hucusque satis probatum, ut omnibus malis *exuat*, omnibus periculis *subtrahat*, ut plenaria *liberatione* totus rursus *evadat*, ex sic etiam futuris malis *expediatur*, quo verè *glorificetur*; Das heisset ganz, und gar, aus aller Noth/heraus reißen/oder von allen Ubel erlösen/und befreien.

22. *Tertius Actus* est ipsa *Glorificatio*; *Et glorificabo eum*: verum equidem est, quod radix $\Gamma\Delta\Delta$ etiam de *glorificatione* temporali sumatur læpius in scripturis, quo respicit etiam suo modo nostrum *Oraculum*, cum in toto *Psalmo* de *Crucianis* militantibus, & sub *tutela Dei* versantibus, sermo sit, qui sapius à *Deo glorificantur*, quando cum *gloria*, vel ex *presentissimis periculis*, vel ex *gravissimis persecutionibus*, vel ex *variis pressuris*, deducuntur. Nam hæc est *summa Dei Gloria*, quod ibi paret suum *consilium*, & *auxilium*, ubi cessat omne *consilium*, & *auxilium* humanum. Nos autem hic potissimum *eternam*, & *ultimam Glorificationem*, & *eternam* eius *Oeconomiam*, qua intendimus, nim. ab æterno *Deus* decrevit homines *redemptos*, *vocatos*, *conversos*, *justificatos*, *sanctificatos*, *conservatos*, & finaliter *confirmatos* in æternum *glorificare*, de qua tamen pluribus agere modo non possumus, cum adhuc duæ nobis *cause* veniant *explicanda*, nim. *Efficiens*, & *Finis*:

23. *Efficiens Causa* non est *alia*, quam ipse *Deus*. Licet enim $\omega\delta\gamma\alpha\kappa\epsilon\upsilon\alpha\sigma\tau\kappa\omega\epsilon$, & *mediate* quoque, *causaliter* concurrant *alia*, quæ *glorificationem* promoverunt: sicut huc refertur (1) *ipsum Dei Verbum*, vel *Theologia*, doctrina *Verbo Dei* comprehensa, cum sit *sapientia Dei* in *Myserio*, quæ *abscondita* est, quam *prædestinavit Deus* ante secula *INGLORIAM NOSTRAM*. I. Cor. II. 7. (2) *Baptismus*, quia, nisi quis *renatus* fuerit ex *aqua*, & *Spiritu*, non potest *ingredi regnum cælorum*; Job. III. 6. ubi respectus habetur *finalis* ad *regnum gloriæ*, quia *Deus* secundum *misericordiam suam* *salvos* nos facit per *Lavacrum regenerationis*, & *renovationis Spiritus Sancti*, quem effudit in nos *abunde* per *Jesum Christum*, *Salvatores nostrum*, ut *justificati* gratia *ipsius HÆREDES* simus, secundum *spem VITÆ ÆTERNÆ*. Tit. III. 5. seqq. Siquidem *Christus* dilexit *Eccliam*, & seipsum *tradidit* pro ea, ut illam *sanctificaret*, mundans eam *LAVACRO AQUÆ* in verbo, ut exhiberet ipsam *GLORIO-*

DE ÆTERNA GLORIFICATIONIS

SANCTA, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, & irreprehensibilis. Nam Baptismus est de celo, Matt. XXI. 25. & ducit ad celum, nim. gloriosum. (3) *Cena Domini*, quæ dispensatur in remissionem peccatorum; Matt. XXVI. 28. ubi vero remissio peccatorum est, ibi vita, salus, justitia, imò & gloria, cum cæna sit viaticum peregrinantium ad regnum gloriæ, sit cibus immortalitatis, cibus æternæ glorificationis. (4) *Fides*, quia finis fidei dicitur salus, & æterna vita, I. Pet. I. 9. quæ est mater coronæ vitæ. Apoc. II. 10. Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi **CORONAM VITÆ**; est mater coronæ justitiæ, juxta Paulum, II. Tim. IV. 7. 8. Bonum certamen certavi, (nim. ad victoriam, & gloriam,) cursum consummavi, **FIDEM** servavi, (post hanc) in reliquo reposita est mihi **CORONA JUSTITIÆ**: tandem est mater coronæ **GLORIÆ**, quia juxta Petrum I. Epist. V. 4. cum apparuerit Princeps Pastorum, percipiemus (post fidem servatam) immarcessibilem **GLORIÆ CORONAM**. (5) *Ministerium*, sicut Paulus inquit: **NOBIS** loquimur sapientiam Dei in mysterio &c: quam Deus predestinavit ante secula **IN GLORIAM NOSTRAM**. Nam *Ministri Verbi* sunt Chiragogi, sunt Pedagogi, sunt Daduchi, sunt bodegi &c: nos ducentes, & promoventes ad *Glorificationem*. Sed hæc præparantes cause, cum hac militia, vel Ecclesia militante, cessabunt, quia Christus, dum finis erit, regnum Deo, & Patri tradet, cum evacuaverit omnem principatum, & omnem potestatem, & virtutem, I. Cor. XV. 24. nim. Regnum œconomicum per Verbum, & Sacramenta, per Ministerium, & Fidem, & aliud novum Regnum, nim. Gloriæ, potenter inchoabit, & αἰώνως in Gloria cum omnibus fidelibus, cælestibus, Sacerdotibus, & Regibus, administrabit, Apoc. I. 5. cum ipse sit hæres, nos ejus coheredes, ut dum compatimur, etiam cum eodem **CONGLORIFICEMUR** Rom. II. 17.

24. Solus igitur Deus est *Causa Glorificationis Efficiens*, cum primis, quoad *Æternam Oeconomiam*, & hoc admodum emphatice nobis in *Oculo nostro* per frequentem personæ primæ repetitionem indicatur: (1) Ich wil Ihn auffhelffen. (2) Ich wil Ihn schützen. (3) Ich wil Ihn erhören. (4) Ich bin bey Ihm in der Noth. (5) Ich wil Ihn heraus reissen. (6) Ich wil Ihn zu Ehren

OECONOMIA. EX PSAL. XCI 14. 15. 16.

Ehren machen. (7) Ich wil Ihn sättigen mit langen Leben. (8) Ich wil Ihm zeigen mein Heil. *Octonarius* hic numerus nostrus octo *Gradus* in catena praedestinationis certo modo respicit, & *Causam Efficientem*, gloriose nobis sistit, atq; perspicue describit, & quoad *Efficientis naturam*, & quoad *natura proprietatem*, vel *potentiam*, & quoad *potentia causalem energiam*.

25. *Efficiens*, quoad *naturam*, per *τὸ*, *pronomem*, indicatur, quod est *vicarium*, & praecedentes *titulos* respicit, qui non unius generis sunt, vere tamen omnes gloriosi, quia nobis exhibent (1) *Gloriosam Essentiam*, dum *magnum*, & *gloriosum Dei Nomen Jehova*, quod *essentiale nomen* est, bis adducitur, v. 2. 9. hoc enim non tantum *Essentiae*, sed etiam *Gloriae nomen* est. *Esa. XLII. 8. Jehova nomen est meum, & GLORIAM meam alteri non dabo*, *Conf. Esa. VI. 3.* (2) *Gloriosam subsistentiam*, dum *nomen Eloah*, vel *יְהוָה, Deus meus*, v. 2. producit, quod *gloriae primae, gloriae creationis nomen* est, dum nullū aliud *Dei nomen* *Gen. I.* legitur, quam *nomen Elobim*, & ad tanto majorem *gloriam Creatoris*, illud *tricies & bis*, in eodem capite repetitur. (3) *Gloriosam Eminentiam*, quia *Deus* vocatur *יְהוָה Altissimus*, v. 1. & 9. cum in *celsitudine*, vel *altitudine maxima* detur *Majestas & Gloria*, hinc *Melchisedecus* in sua *Triadosophia*, *Gen. XIV. 18. 19. 20* *Symbolum* illustre proponit, & *confessione sua Deum Trinum* exponit, prout in *Theolog. Melchisedeciana* pluribus id demonstravimus. (4) *Gloriosam sufficientiam*, quia *Deum* vocat *יְהוָה, Deum sufficientiarum*, vel *sufficientissimum*, id quod itidem maximam *gloriam* importat: sicut enim *pauperum & mendicorum maxima datur ignominia*, sic & in omnium rerum vel *abundantia*, vel *sufficientia*, maxima datur *Gloria*, qua de causa divites in suis *divitiis gloriari consueverunt*, *Jer. IX. 23*, sicut exemplum *divitis Agricola* testatur. *Luc. XII. 16. seqq.*

26. *Efficiens*, quoad *proprietatem*, & *practicam potentiam*, in *voluntate* declaratur, & haec itidem frequentissimis repetitionibus illustratur, inculcatur, & commendatur: (1) Ich wil Ihn auffheffen. (2) Ich wil Ihn schützen. (3) Ich wil Ihn erhören. (4) Ich wil Ihn heraus reissen. (5) Ich wil Ihn zu Ehren machen. (6) Ich wil Ihn sättigen mit langen Leben. (7) Ich wil Ihm zeigen mein Heil. Hæc magna *promittitudo*, hæc *ardens promittitudo*, hæc *constans promittitudo*, quæ

para

DE ÆTERN. GLORIFIC. OECON. EX PSAL XCI. 14. 15. 16.

paratissimam Dei tam prontatem, quæ voluntatem ad nostri glorificationem certissimam importat.

27. Efficiens, quoad activitatem divinam, illustratur, & quoad actuum certitudinem, dum veritas actionum, circa nostri glorificationem concurrentium veritate verborum activorum, aut actuum inferentium, indicatur; & quoad actuum promptitudinem, dum actus immediate semper cum voluntate paratissima coherent, & indefinenter, ac efficaciter, ab eadem dependent: & quoad actuum multitudinem, dum integer catalogus actuum glorificantium recitatur; & actuum magnitudinem, cum maximi sint, & proxus infiniti glorificantes actus, dum maximi sunt Jehovæ, quoad quidditatem, vel Essentialem habitudinem; maximi sunt Jehovæ, quoad quantitatem, & eminentissimam celsitudinem; maximi denique sunt Schaddai, quoad qualitatem, & sufficientissimam plenitudinem.

28. Tandem ad finem properamus, qui vel Cui, nim. Fideles (a) corde sperantes, (b) mente Nomen Dei cognoscentes, (c) ore clamantes, (d) in calamitate constantes. (e) Glorificationem accipientes. (f) Longitudine dierum se constanter exsatiantes. (g) in felicitate salutari Jehovæ triumphantes.

29. Vel cuius, quales respectu nostri sunt (1) aternitatis possessio, nim, in longitudine dierum, à Deo communicata. (2) abundans in aternis bonis exsatiatio, quæ veram importat à vitæ pœnæ Joh. X. 10. ab El. Schaddai. Gen. XVII. 1. & b l. v. 1. (3) manifesta divina salutis ostensio. Respectu Dei conspicitur hic in omnibus Gloria divina celebratio, vel ejus aterna continuatio.

30. Eminentiam paucis attingimus, & ex axiomatibus eam deducimus, quia hæc Glorificatio dicitur (1) Divinissima, cum sit ipsius Dei. (2) Celsissima, quia dicitur Altissimi. (3) Sufficientissima, cum sit Schaddai. (4) Gratiissima, cum sit gratiosæ præsentia. (5) Mirabilissima, cum sit miserorum, per gratiæ varios actus. (6) paratissima, cum semper repetatur: Ich wil/ Ich wil. (7) Certissima, cum pendeat ex meris voluntariis promissionibus. (8) Durabilissima, cum in longitudine dierum duret. (9) efficacissima, cum afferat satietatem. (10) Felicissima, cum tæras Jehovæ felicitates, & salutes secum ferat.